Sienkiewic Petri: Acroama gratulatorium ad festivam annuae celebritatis diem Divi Stanislai, Ep. Cra.

ACROAMA
GRATVLATORIVM,
Ad Festiuam annuæ celebritatis diē,
DIVI STANISLAI,
Episcopi & Martyris, Regni Poloniæ
PATRONI;
Perillustri, & Admodùm Reuerendo Domino,
D. STANISLAO KĘPSKI,
CANONICO TARNOVIENSI,
Parocho Wierzchostauicensi, Benefactori suo Amplissimo,
Exhibendi obligati pectoris, & honoris ergò,
A
PETRO SIENKIEWIC,
In Alma Uniuersitate Cracouiensi, Artium, & Philosophiæ Baccalaureo:
CONCENTU LYRICO,
DEDICATVM.
Anno Domini 1685. Die 8. Maij.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

O D E
TRICOLOS TETRASTROPHOS.

SI quando pulſis nubibus, ilico
Amòéniores culta panegyres
Thalia luſiſti; Serenos
Nunc Cytharâ meditare cantus.
Mens, non profano feruida ſubſilit
Enthuſiaſmo, nec ſolitò flagrat,
Auetq; vocali Patronum
Officio, celebrare Magnum.
Deſcende, Sacri nomina Præſulis,
Latè ſonanti carmine concine,
Deſcende, Martyriſq; geſta,
Dulciſonis modulare plectris.
Quem fecit olim clara Polonia,
Et priſca ſæclo ſtirps Szczepanouia,
Antiqùiorum purpuratis
Nobilium iacuiſſe cunis.
Vt æuiternum ſurgeret Arcticæ
Decus coronæ, gloria nominis
Necnon Lechei promicaret,
Sanguineo radians ab oſtro.
Aſſurge vultu Lechia libero,
Auguſta Diui Martyris ô Parens!
Felicitati gratulare
Iamq; Tuæ, geminans triumphos.
En fulget ingens, en decus omnibus,
Paſtoris Almi munere ſcilicet
Præſtans STANISLAUS, cruore
Purpureo magis at refuſo.
Rerum ſtupendo qui dedit ordine,
Vt Vniuerſis partibus, audias
Famæ perennis dote plena,
Et celebri cumulata dono.

Iam

Iam Sparta cedit laudis adoream,
Nec gestit vltra prole suâ; benè
Edocta, ceu cunctas Lacænas
Anteuenis meliore partu.
Romana non est, quod sibi gloria
In laude summum poscat, & imperet,
Cæli, Atlantes, Herculesq́;
Si generas Boreæ sub axe.
Qualem tulisti, poplite cernuo,
Orbi colendum nunc, pia, Martyrem
Qui sæculis à tot, per astra
Laureolâ Viridans triumphat.
Hic ille zelo feruidus, hic Dei
Ardebat olim contra Boleslaum;
Effrenis in scelus nefandum,
Qui vitiis reserabat orbem.
Flectiq́; suasu Præsuleo inscium,
Sed ad struentem crimina publica,
Adiutus hinc dextrâ Tonantis,
Fulminibus petiit sacratis.
Quid iste? motus sæuiùs Adriâ,
Calumnias nunc, nunc probra congerit,
Suadæ minas nunc destinando,
Igne micat velut Æthna diro.
Tyrannus, & ceû non semel impius
Vellet videri, distulit hactenus
Furoris oestrum: mox daturus
Proh Tragicæ feritatis actus!
Eheu pudendum Principis à manu
Sacras ad aras Victima concidit;
Membris, & in partes, feroci
Secta acie manet amputata.
Eheu dolendum! præda fit aulicis
Pastor Molossis; degeneres lupi,
Feræq́; de vulgo minores
Exanimum lacerant leonem.

execrandæ ſcena Tragediæ!
fosſa cordis regia, nobile
Auguſtal, & ſedes amoris
Concutitur, chalybum tumultu.
Sacris Tiaris emeritum caput,
Arx illa magnæ mentis, & intimum
Conclaue Sanctioris æui,
Cuſpidibus grauibus reciſum.
Et erogatrix dextera, gratiæ
Cæleſtis olim, membraq; cætera
Diſſecta, per latumq; campum,
Fors ideò iacuêre ſparſim.
Vt maius iret Sarmatiæ decus
Exinde, Diui corpore ſanguinis
Non pluſq; manaret cruento,
Nominis vt Patriæ perennis.
Ergò per enſes, perq; Boleſlai,
Letale ferrum, Martyris inclytum,
Profecit ad culmen, Patronus;
Sed Lechiæ geminando famam.
Firmanſq; tutum præſidium ſuis,
Diuiniori quos ſibi nomine,
Agnoſcit in curam obligatos,
Atq; datos vigilantiorem.
Quos inter, & Tu cùm niteas, DEI
O digne Myſtes! ô Sapientiæ,
Et elegantûm flos Virorum!
Nomine conſpicuus Patroni.
Num Te profundo penè ſilentio
Tranſire fas eſt? carmina læta quin,
In vim tributi Muſa grata
Nunc referat, reſonante ſiſtro.
Cùm poſcat iſtud, multigenæ decus,
Virtutis, in Te, quæ ſolidiſſimâ
Radice firmata eſt, baſique,
Principibus redamata Myſtis.
Hinc

Hinc norma Cleri, gemmaq; Præsulum,
Intaminatæ mentis ebur merum,
Ecclesiæ fortis Columna,
Præsul OBORSCIUS, in suorum
Partem laborum: Te vocat inclytum:
Sensûs modesti flos, Charitum lepos,
Cordisq; sinceri medulla,
Vt subeas animo capaci,
Curas Olympi: quas licet arduas,
Vrgere nunquam desinis impiger;
Nouasq; nectis, Liliorum
Præsuleis niuibus, coronas.
Quod fama velox, Herculeos ferens
Vltra recessus, temporibus dabit
Longè remotis; vt labores
Omne Tuos veneretur æuum.
Sæclis futuris, gratius hâud minus:
Continget istud, munificâ manu,
WIERZCHOSŁAVICENSES quod ædes
Condecoras, superis dicatas.
Nec niptra Lethes, gurgite suppriment
Obliuionis, lætus Etesias
Spirare dulces gratiarum,
Cêu soleas sine felle cunctis.
Promptèq; pandas cêu animum libens,
Virtutis in quo cernis imaginem;
Hinc ibis inter æuiterna
Sæcla, diu memorandus orbi.
Viuesq; felix, mille fauoribus
Cæli beatus, tempora Nestoris
Viues; vt obligata Musa,
Ad Cytharam Tibi comprecatur.